15

A D
SERENISSIMVM
PRINCIPEM
ALBERTVM AVSTRIVM
IMPERATORIS FILIVM,
NEPOTEM, FRATREM,
BELGICAE SVPREMVM GVBERNATOREM,
NVPTIARVM CAVSA

Primùm Ferrariam ad CLEM. *VIII. Pont. Opt. Max.*
Postea in Hispaniam proficiscentem

Carmina

IACOBI VSTII AB ATHO
Canonici Cameracensis.



Venetijs, Apud Altobellum Salicatium. 1598.

SERENISSIMO
PRINCIPI
ALBERTO AVSTRIO
IMPERATORIS FILIO,
NEPOTI, FRATRI,

BELGICAE SVPREMO GVBERNATORI,

Iacobus Vstius Canonicus Cameracensis S. D.

NON ignarus, Princeps Serenissime, quanti operis esset, in Austriacis nuptijs afferre aliquid dignum familiæ omnium Augustissimæ, Potentissimæq; maiestate; dignumq; magnitudine pietatis, qua Clemens Pont. Opt. Max. Serenissimorum Coniugum matrimonia solennibus sacris, pioque S.R.E. ritu, Ferrariæ ad Eridanum, maxima totius Christiani orbis celebritate, confirmauit; contentus fui hoc unum dare operam, ut constaret, quò, propter ingenij mei imbecillitatem,

peruenire minimè potuissem, eò saltem conatus meos, omniaq; mea studia aspirasse. Præstandæ enim rei spem ademerat iam Augustissimorum Austriæ familiæ Coniugum splendor, ac maiestas; tantò quidem ceterorum Regum claritate, dignitateq; illustrior, quantò minùs illorum familiæ, siue Regnorum amplitudine, & potentia; siue populorum, ac gentium pietate, celebritateq;, seu denique aliarum rerum expetendarum copia, cum Austria familia comparandæ. Voluntatem verò quatenus præstiterim, Tu ipse, Princeps Serenissime, pro summa tua humanitate, ac prudentia (si modò, cùm uacauerit, legendum aliquid duxeris) optimè iudicabis. Summi quidem, maximiq; apud me, subditum, & clientem tuum, beneficij loco erit, si perspexerim, hoc ipsum probandæ Serenitati tuæ voluntatis, & obseruantiæ meæ studium (quod quidem unum hic agnosco) ei non molestum accidisse. Vale, Princeps Serenissime, quem Deus Ecclesiæ suæ, ac Belgicæ nostræ, totique Christianæ Reip. incolumem, salua Isabella Cæsaris Nepte, ac Regis Filia, Teq; dignissima Coniuge diutissimè tueatur.

AD

SANCTISSIMVM

D. CLEMENTEM VIII. PONT. OPT. MAX.

QVID non Regna Tibi, CLEMENS, nunc omnia debent,
Ornata, aut solo munere salua tuo?
Pannonia ambiguis iamdudum erepta periclis
Te Duce res lætas, cultaq; templa videt.
Acceptamq; etiam tellus Germanica vitam
Fert Tibi, suppetijs tot recreata tuis.
Quid porro dicat tua Gallia? non'ne salutis
Quidquid habet sacri est muneris omne tui?
Per Te sunt Regi cumulati Regis honores,
Seruataq; Deo relligionis opes.
Hesperio deerat tua maxima gratia Regno,
Coniugij augurijs iam patefacta tui.
Namq; tuo auspicio inter se connubia iungunt
Austriacæ Heroes, Cæsareæq; domus.

Et

Ecquid, Sancte Pater, posthac Tibi restat agendum?
Da veniam; dicam, quod tuus vrget amor.
Coniugij, summiq; tui sit meta laboris,
Europæ vt iungant fœdera sancta Duces.
Coniunctisq; animis externa in prælia vires
Effundant, Christi bellaq; sacra gerant.
Fœdere composito (Deus annuet inter agendum)
O CLEMENS hominum maxime, quantus eris!

De Vrbis Ferrariensis celebritate.

MOENIA ad Eridani toto concurritur orbe,
Visa frequens nunquam tam pia Roma fuit.
Sedis Apostolicæ num fortè migrauit in Vrbem
Eridani pleno turba beata sinu?
Hic tota, vt video, Romana potentia; Roma
Aut hic, aut Romæ est nullus in orbe locus.
Edicam; Romam CLEMENS hanc duxit in Vrbem,
Austria progenies omnia regna tulit.
Hospes in hanc igitur quicunque aduenerit Vrbem,
Hic hospes meritò totius orbis erit.
[...]lata est siquidem de cunctis vrbibus vna,
[C]LEMENTIS tantum est, coniugijq; decus.

Ad Ciues Ferrarienses.

[...]IDANI Proceres, CLEMENTIS ma-
[...]xima cura,
[...] sub aduentum Heroum, quos Austria tellus
Mittit

Mittit in Hesperiam magna ad connubia, festis
Plausibus indulgent, totaq; ex vrbe ruentes
(Qualis apum latè campis effusus aceruus,
Vere nouo, gratos conferto examine flores
Libandi studio, cælum vndiq;, & æthera complet)
Certatim occurrunt Sponsis, & gaudia, siue
Sublimes in equis, pedibus seu strata viarum
Obsideant, lecta iuuenum comitante caterua,
Testantur, pompa celebriq; propaginis altæ
Res lætas, fausto augurio, erectisq; triumphis
Ostendunt, magnasq; Deus spes omine firmat.
Quandoquidem toti Europæ connubia magnum
Portendunt celebrata decus, certasque perennis
Pacis opes, queis nil meliùs secla aurea, nilque
Rex superùm optanti spondere beatius orbi
Aut velit, aut ipsi Reges exposcere maius.
Coniugibusq; aliquis tam faustos vrbis honores
Inuideat, lætisque choris socia agmina demens
Iungere, communi & festo indulgere recuset?
Signa omnes date fausta viri, date certa salutis
Indicia, & lætis animis præsumite tempus
Venturum, cui nulla ætas licet aurea sese
Comparet, augurium tot, tantaq; pignora firmant.
Interea Augusti, genus alto à sanguine Regum,
Heroes, quorum incolumi, longaq; salute
Nititur Europæ fiducia tuta salutis;
Eia agite, insignis dum corpora pulchra iuuentus
Consolidat, donoq; Dei dignissima sceptris
Ora vigent, vos illa, precor, vos illa fouete.

Et quando belli cecidit furor, almaq; Regnis
Reddita pax orbi secla exoptata reduxit;
Vobis ante alias sit vitæ cura tuendæ.
Quam facilè & felix rerum fortuna sequetur,
Et status incolumis Regnorum, ac tempora læta,
Quæ dudum vobis lætissima Musa precatur.

In Aduentum Serenissimorum Coniugum.

TANTA quid Eridani Procerum immigrauit in Vrbem
Copia, quid tanta hæc vult sibi nobilitas?
Fortene Romanis ditionibus addita nuper
Mœnia sceptrifero succubuere viro?
Haud equidem: Heroi Romano nulla potentis
Eripuit Regis moenia tuta manus.
Quin magis, obsidibus magnis sibi Regibus, Heros
Aeterni hic iuris pignora firma capit.
Adsunt Austriaci, genus alto à sanguine, Reges
Præsto tueri ipsis mœnia corporibus.
Quandoquidem CLEMENTI animos, & corpora debent,
Coniugij Austriaci quem penes omnis honos.
Sponte nouos inter Reges connubia iungit,
Perpessus longæ tædia multa moræ.
Si tamen hæc censenda aliquid sunt tædia, molli
Pectore vis animi quæ tolerare solet.
Affectus potiùs sunt argumenta benigni,
Dum, quæ discruciant, lenia reddit amor.

CLE-

CLEMENTIS qualis visa expectatio, moles
Inter curarum plena paterni animi.
Additanamq; moræ quamuis discrimina rerum,
Mens diuina tamen constitit vsque sibi.
Immotumq; animo sedit, quicunq; fuisset
Exitus, oblato fungier officio.
Auspicibus donec superis, atque alite fausto,
Hæc tandem Eridani luxit in Vrbe dies.
Incidenda dies aurato iure metallo,
Digna dies fastis, marmore digna dies.
Lux Regnis fausta Hesperijs, interq; triumphos
Austriacos primum digna tenere locum.

In aduentum Serenissimi Principis ALBERTI AVSTRII.

IMPERII Cæsar, CLEMENS Sanctissimus orbis,
Ac cœli in terris maxima sceptra gerunt.
Ambo diuino præfecti munere (summis
Imperijs quis enim numen adesse neget?)
Ambo Romano dicti de nomine, Patris
Hic Sancti, Regis nomen at alter habet.
Consortes ambo nulli, Regesq; Ducesq;
Euecti supra, Christi columq; genus.
In terris solum diuinum numen adorant,
Muneribus cuius munera tanta gerunt.
Hos ego nonne vna videor iam cernere in Vrbe,
Eridani circum quam fluit unda vadi?

Vndiq; tot magnos Heroas cerno, putantur
Cæsareum quales posse decere latus.
Fallor? an ipsa oculis conspecti illudit imago
Cæsaris? (Augustæ nam mihi visa prius)
Credo equidem, nec uana fides; aut ipse, vel illi
Est frater, mihi tu dic, precor, Aula, quis est?
Sic ego; quærenti subitò læta Aula profatur,
Cæsaris est frater, Cæsareusq; Nepos.
Cæsaris & quondam Natus, nunc inclyta mundi
Austrius Albertus gloria, & orbis amor.
Nec plura; extemplo ad speciem, vultumq; sereni
Principis, ipsa mihi mens stupefacta fuit.
Qualis in aduerso Phœbo qui fixus inhæret,
Dum clarum ætherei permeat orbis iter:
Phœbæis radijs hebetari lumina sentit,
Nec potis est tantas sustinuisse faces.
Principis effigies talis mihi visa sereni,
Ad sese obtutus dum rapit vsque meos.
Vt verò ex oculis nubes, quæ septa tegebat
Lumina, discessit, reddita mensq; mihi;
Res varias mecum suspenso corde volutans,
Sedato hæc tandem pectore verba dedi.
Anne ille Austriaci generis lux inclyta, & ingens
Cæsareæ stirpis gloria, honorq; domus?
Anne ille Albertus Lusitani maxima Regni
Gloria, Purpureæ tantaq; fama togæ?
Illéne quem toties victorem Gallicus Heros
Miratus toties victor & ipse fuit?
Illéne Belgiadum qui iam fortissima gentis
Pectora, composita denique pace, regit?

O eflix Alberte Ducum clarissime, felix
Terq; quaterq; humeris Belgia nixa tuis.
Quid tua non virtus, quid non prudentia magnum
Efficiat, quod non aggrediatur opus?
Bella exhausta tibi sunt maxima, quæque gerenda
Restant, Austriaca conficientur ope.
Ne dubita; factisq; tuis, & fortibus ausis
Implorata aderit dextera tuta Dei.
Iunctaq; Belgiadum castris pars magna, rebelles
Atque tibi, & Christo sub tua signa trahet.
Hesperij interea thalami cape lætus honorem,
Cui Deus applaudit, Romuleusq; Pater.
Et quando, magnis tercentum mensibus, orbi
Augustos tua Gens protulit vna decem.
Fœcundo partu genitos ex ordine (cæli.
Propensi Austriacis gratia tanta fuit.)
Aude, Alberte, tuis meritis spondere, tuisq;
Prolibus Augustum, Cæsareumq; decus.
Plurima gessisti dignissima Cæsare, Teq;
Deuictis alijs assiduè exsuperas.
Quin etiam famam vicisti, & vincere certas,
Quæ tibi iam restant omina? Cæsar eris.

Ad eundem Principem.

QVAS Alberte tuis laudes virtutibus æquas,
Quæ ve precor meritis carmina digna canam?
Nulla tuæ ætatis sunt magnæ expertia laudis
Tempora, vita omnis tam bene culta fuit.

Sed quid ego hic primùm, quid posteriusve reponam?
An fortè à teneris ordiar vnguiculis?
Res longa; an narrem quæ te fortuna secuta
Mox fuerit, primus cùm Tibi creuit honos?
Prima tuas laudes dicat Lusitania, Rege
Tradita ab Hesperio tota regenda Tibi.
Capta tuis equidem magnis virtutibus, vltro
Illa Tibi sese subdidit, atque suos.
Ac veluti præsens numen venerata, iubentem
Audijt, ad nutus vndique prompta tuos.
Vnde breuì afflictis solatia reddita rebus,
Et quæ nutabant consolidauit amor.
Iunctaq; virtuti prudentia maxima, passim
Collapsa in regni corpore restituit.
Ernesti donec fratris post funera visum
Magnanimo Regi mittere in arma Ducem.
Te fortes igitur Belgarum legat ad oras,
Fortiter vt præsis rebus, & arma geras.
Hic tua quid porro vis Martia gesserit, arces
Hulsti, & Caleti, castraque victa docent.
Sed mihi non studium tua, Dux, exhausta referre
Prælia, iam pacis mens mea versat opus.
Dignius ecquid enim celebrari carmine, rerum
Alberto tandem quàm Duce parta salus?
Auspicijs modo namque tuis pax reddita mundo
Omnibus in terris cuncta quieta videt.
Quare nulla equidem cælesti à numine maior
Optari, maior nec potuisset honos.

Quan-

Quandoquidem afflictus bellis ciuilibus orbis
Hac vna poterat se recreare via.
Quot tamen hæc fuerit frustra quæsita per annos,
Permultis lustris prælia gesta docent.
Illa quidem lacrymis, longo & plenissima luctu,
Dum populum læsi numinis ira premit.
At Christus pacem post secula multa reduxit,
Aduentu, atq; tua conciliatus ope.
Purpurea siquidem dum veste insignis ad arma
Subiectos populos, ac tua castra vocas;
Audijt armatum Deus, ac sua iura tuentem,
Pro Rege Hesperio dum pia bella moues.
Atque tuis precibus uictus, votisq; tuorum,
Gaudia supplicibus vocibus æqua dedit.
Haud etenim Belgis tantùm aurea munera pacis
Contulit, æternæ pignora lætitiæ;
Ast etiam cunctos Heroas fœdere tecum
Iunxit, qui Christi numina sancta colunt.
Ergo omnis longo soluit se Belgia luctu
Erexitq; suo mille trophæa Duci.
Ostensura breuì signo meliore triumphos,
Atque voluptatis gaudia plena suæ;
Cùm primùm tanti facti Dux Regia Coniux
Alberto adueniet consociata Duci.
Interea palmisq; tuis, & pace tuorum
Cæsareæ fruitor gloria, spesq; domus.
Teq; diu incolumem seruent pia numina, fortes
Vt dudum possis vincere fortis auos.

Ad

Ad Eundem Principem.

SVNT Alberte tui Regna omnia plena laboris,
Plenaq; virtutis, quæ, pubescentibus annis,
Supremo Imperio sceptris præfecta tuendis,
Pectoris augusti, excelsiq; Heroica passim
Argumenta dedit; testis Lusitania, testis
Summa tibi Hesperij regni concredita rerum,
Multaq; Gallorum præclarè in finibus acta,
Ac demum firmata tuo pax Belgica ductu.
Quandoquidem quàm non multis voluentibus annis
Europæ Procerum vis, ac prudentia quondam
Afflictis potuit Belgis præstare salutem,
Illa tuo aduentu parta est tutissima; cunctis
Ingentis facti decus admirantibus, olim
Quantumuis maiora tuæ præstantia mentis
Spondeat, & summi summæ virtutis honores,
Magnaq; Belgarum de Te fiducia, qualis
Nulla vnquam maior fuit, aut venientibus annis
Esse potest; ita cuncta cadunt feliciter, omnes
Vt dubitent, populine salus sit carior ipsi
Alberto, Albertus potiùs saluos'ne clientes
Esse velit, sic cana fides nil cedit amori,
Vtraque & alternis res tam coniurat amicè.

Ad Eundem Albertum Austrium.

VT Te, nobilium sacri senatus
Patrum præcipuum decus, per agros
Aspexere acies toga rubenti

Indu-

Indutum, & clypeum manu gerentem,
Dum res, ac populum Dei tueris;
Spes haud vana animos subit repente,
Omnes, Te Duce, Belgicos tumultus
Mutata facie, statuq; rerum
Aeternæ stabilem breui daturos
Pacis materiam, sacrisq; templis
Impostos iterum pios honores,
Exacta Aegide, Palladisq; monstris;
Astræam è supera domo exituros.
Vt nunc exitus ipse comprobauit.
Quem propter noua nunc viget voluptas,
Europæ placido sinu recepta,
Plaudentumq; uirum theatra complent
Ingentes sonitus, decusq; magnum
Alberti Ducis, inclytumq; nomen
Lætis vocibus, ac pijs camœnis
Passim concelebrant, sacrisq; votis
Orant, connubio vt recenter auctum
Augustę sobolis Deus parentem
Faxit, quæ Austriacos Auos triumphis
Tot terra, atque mari datis potentes,
Exemplo referat, suisq; factis
Illustret magis, ac magis; Nepotes
Post nil degeneres datura mundo.
Vt clara Austriadum domus referta
Magnis Cæsaribus, Ducumq; longa
Ac Regum serie, diu tueri
Romani Imperij decus, sibiq;

Subie-

Subiectos populos queat, ſuisq;
Sceptris occiduas plagas, & orbis
Eoi latus omne, totiusq́;
Mundi pondera ſuſtinere poſſit.
Hoc Belgæ, Heſperij, Auſtrij, Bohemi
Hoc Germania tota, ceteriq́;
Qui res incolumes volunt, profuſis
Votis continuis ſimul precantur.

De Purpureis Sereniſsimi Principis Alberti Auſtrij S. R. E. Card. inſignibus redditis.

REDDITA purpureæ veſtis monumenta recepit
Eridani nuper Sanctus in vrbe Pater.
Miratusq́; Togæ decus, ac virtutis honores,
Militiæq́; noui clara trophæa Ducis.
Multa animo ſecum meditans, dudumq́; moratus,
Diuino hos tandem protulit ore ſonos.
Quandoquidem pugnans pro relligione, ſaluti
Tot fuit Albertus, præſidioq́; viris;
Armatumq́; iuuat vitam pro laude paciſci
Numinis, & ſacra pro pietate mori;
Conſiliumq́; probat Rex Auſtrius, atque repoſcit
Albertum Generum, coniugiumq́; parat;
Sedis Apoſtolicæ ſit purpura, & Auſtrius arma
Dux habeat, clarum militiæq́; decus.
Ipſe pijs ſemper Chriſti rem vindicet armis,
Namq́; dabit factis præmia digna Deus.

In

In obitum Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Philippi II. Hiſpaniarum, & Indiarum Regis.

PHILIPPVS occidentis orbis inclytum
Decus, Philippus Indici freti vnicus,
Simulq; primus Imperator, omnium
Vbique terror infidelium, occidit.

Eheu! quis illius viri vltimum diem
Sat ingemiſcat? aut quis optimi omnium
Acerba Regis, ac dolenda funera
Doloribus decentibus ſatis fleat?

Potisne luctus vſpiam inuenirier,
Dolorúe par, quibus decet viri omnium,
Fuere quotquot antè, ſuntúe, maximi,
Sepulta membra fleri, humiq; condier?

Sit hic cadaueris triumphus Auſtrij,
Vtriq; nil adhuc acerbius polo,
Fuiſſe morte Principis ſui optimi,
Dolenda vbique maximis doloribus.

Quid ille non boni, ah dolor! ſuo exitu
Ademit? aut quid optimæ ſpei (aureæ
Satis oliuæ, agris, ſoloq; redditis)
Is ipſe non & hinc ſimul ſtatim abſtulit?

Quid, oro, grana iuuerit, quid ipsius
Habere dona Palladis, feracibus
Locis ferenda, maximis laboribus,
Nisi cupita fructuum datur seges?

PHILIPPE, quanta gaudia & quot ominis
Boni dedisti in ære vbique aheneo
Notanda signa! pace reddita omnibus
Locis, pio tuo, Deiq́ue munere.

Sed heu! quot attulisti & ipse lacrymas
Tui hac repente funeris miserrima
Acerbitate! quì, Philippe, id accidit?
Tuaéne mentis hoc, Dei anne opus fuit?

Adhæc, ab arce visus aurei poli
Philippus vndique aureis fluentibus
Togis decorus, & nouis honoribus
Amictus, ore Regio profarier.

Suprema Regis omnium potentia,
Deiq́; summa gratiæ benignitas,
Pijs clientis impetrata vocibus,
Vbique pacis attulit mihi otia.

Futura non mihi modò hic in æthere
Perennia, at simul meis Nepotibus,
Domusq́; stirpis Austriæ viris rata
In orbe semper, exitu vt docebitur.

Vbi

Vbi quieta n amque Regna munere
Dei impetraui, & vndique armiger furor
Repressus occidit per icta fœdera;
Rogata mors, quietis arra, præmio.

Deusq; pacis auctor, arce iam poli
Receptum olympicis onustat vndique
Honoribus, meaq; supplici prece
Rogatus, expetita Filio annuet.

Sub hæc, Philippus, alitum globo vndique
Latus serente, in ardui ætheris plagas
Ouans recessit, Austrios Auos vbi
Honoribus, poli coronat Indiges.

Ad Hispaniam de eiusdem Philippi Regis obitu.

QVID gemit interitu Regis perculsa Philippi
Hesperia, & mœstis vocibus astra ferit?
Anne quòd extinctus vitæ mortalis honores,
Sceptraq; Regnorum maxima perdiderit?
Ille neque extinctus, Nato post fata relicto,
Nec, quamuis uita functus, honore caret.
Cæli etenim magnis cumulatus honoribus Heros,
Spernit quæ in terris splendida visa priùs.
Diuitijsq; poli, atque bonis cælestibus auctus
Regales miseri despicit orbis opes.
Pauperiemq; vocat mundi ditissima Regna,
Præ regnis, quæ nunc cælica in arce tenet.

Et quisquam Tibi, Rex, cœlestia regna Philippe
Inuideat, factis præmia digna tuis?
Non ego Christicolum quenquam de gente putabo,
Tam gerere in Regem pectora dira suum.
Illum sin verò deflet se propter ademptum;
In Regis peccat pignora chara sui.
Ille etenim Natum Regnis, aliumq; Philippum,
Atque itidem Natam, germina bina dedit.
Quin Solem, ac Phœben, sibi Sole cadente, reliquit,
Nox sit vt illustris, sitq; serena dies.
Quid trepidas? cernes factis superesse Philippum,
Qui Patris egregiè munera cuncta gerat.
Efficietq; Deus, quæ præcipitante senecta
Hesperij Regis Regna stetere diu.
Illa eadem, quamuis Nati iuuenilibus annis
Credita, consistant non male fulta loco.
Non expectat enim magnis in Regibus annos
Virtus, ante diem sponte sed aucta viget.
Siste igitur lacrymas, Hispania, mitte timorem;
Incolumi Nato nam tua tuta salus.

Ad eandem Hispaniam.

QVID mirum, occiduo Regem sub sidere natum,
Occiduo tandem sole obeunte mori?
Sic solem Eoum tandem se mergere Ponto
Cernimus assiduè, tum loca nocte tegi.
Exortum donec iubar illustrauerit orbem,
Reddideritq; nouum lux renouata diem.

Non

Non ita se Austriacus gessit post fata Philippus,
Par Phœbo uiuus, maior at interiens.
Sceptra etenim viuens extendit ad Indica Regna,
Extremi solis quà uia flectit equos.
Nec tamen occasu tenebris horrescere mundum
Siuit, nec tenebris post sua regna tegi.
Occidit ille etenim, sed sole oriente relicto,
Austria qui patrio lumine Regna fouet.
Quin etiam Phœben Regni, & solatia Regis,
Liquit, quæ Fratris possit obire vices.
Et quereris senij iam præcipitantis honores,
Commissos iuueni, purpureisq; genis?
Ne dubita; in tenera cernes lanugine vultus
Austriacos, magni sensaq; magna Patris.
Seq; senem in Regni rebus præstabit agendis,
In pueris nunquam qui fuit antè puer.

Ad Vrbem Ferrariensem de Nuptijs Austriacis.

MARITAT ambo Principes, ab Austria
Genus domo, poli hic, & orbis Arbiter,
Facesq; Regis Austrij pijs probat
Sacris, in Vrbe Principe hactenus Ducum
Domus origine Actiæ, sed auspice
Dei, ac Vicarij manu, addita modò
Sacris Petri, ac peculiaribus bonis.
Quid, oro, tu supra omnium Vrbium decus
Locata Ciuitas, nouisq; honoribus
Referta, iure non tibi peroptimo

Modò

Modò omineris? optimæ spei omina
Sequentur acta; ne verere maxima
Tibi augurarier; Potentis Austriæ
Domus fauor, paratus omnibus locis,
Beabit incolas, & in periculis
Genus tuum, ac tuos agros tuebitur.
Memorq; nuptialium Sacri Patris
Laborum, honore quos Propago Regia
Colet perenni, amica rebus omnibus
Erit tuis, & Vrbis inclytum decus
Fouebit, aucta ibidem & ipsa honoribus
Pij Parentis; hæc sinu tuo rata
Reconde vota, quæ probabit exitus.
Deo interim fer hic preces, vt Austrium
Genus secundet, ac Nepotibus, quibus
Auos referre cura sit, beet; diu
Vt orbis inclyta Austriæ Propaginis
Potentia regnauerit, tuæ rei
Bono, salutis omniumq; gratia.

Comparatio Coronationis Caroli V. Imperatoris sub Clemente Septimo Bononiæ;
Cum Nuptijs Austriacis sub Clemente VIII. Ferrariæ.

CÆSARIS Austriaci triplici diademate Clemens
Septimus ornauit Felsina in Vrbe caput.
Nunc alter Procerum Austriadum connubia CLEMENS
In prima Eridani fluminis Vrbe probat.

Cui,

Cui, precor, Austriacæ plus debent stemmata gentis?
Officio functus quis potiore fuit?
Dic fidens animi pia Musa, edissere nobis
Iudicij quæ sint intima sensa tui.
Sic ego; Sic posita tandem formidine Musa,
(Quando sunt pacis tempora plena) refert.
Carole, magna fuit quondam tua gloria, claris
Insignem meritis tale tulisse decus.
Ipse etenim, partis terráq;, mariq; triumphis,
Contra omnes steteras pro pietate Duces.
Et cunctæ Europæ signis victricibus orbe
Sedato, Turcis iam metuendus eras.
Unde tuos meritò ornauit diadema triumphos,
Cæsareum texit quo sacra dextra caput.
Quos modò sed CLEMENS Octauus præbet honores
Regibus Austriacæ, Principibusq; domus:
Clementis sunt signa animi, sunt omina rerum,
Quas rectè Austriacus Rexq;, Ducesq; gerent.
Nam quid non fausti pariant connubia, Sancto
Pontifici, & Summo rite probata Deo?
Nil sibi non magnum CLEMENS promittere Regna
De Rege Austriaco, Principibusq; iubet.
Et tantum illius decus antetulisse recusem
Clementis facto, Cæsaris aut meritis?
Quod fecit CLEMENS progestis antè, gerendis
Pro rebus CLEMENS nunc pius ipse facit.
Ecquis Aui meritis Regis cessura Nepotis
Sceptra, quis Albertum degenerare putet?

Ad

Ad Sereniſsimum, & Potentiſsimum Philippum III. Hiſpaniarum, & Indiarum Regem.

PHILIPPE iuncta MARGARIS Tibi, ac Soror
Tua ISABELLA nupta Principi Auſtrio;
Deo probante, & illius Vicario,
Dieſq; iam dicata nuptijs
Polo voluta denique, optimo alite
Secunda luxit, ac tuis honoribus,
Suisq; gaudijs referta ciuitas,
Nouisq; proſecuta plauſibus nouas
Faces, ſui dedit probata gaudij
Vbique ſigna, nil vt amplius dare
Potis ſit; ecquis hic modò actus eſt ſuper?
Precumne? cenſeam. piè ergo Maximum
Deum precamur, vt Tibi bene omina
Secundet, ac tuæ Propaginis decus,
Tuo, Reiq; publicæ bono, ſupra
Auos, & omne ſtirpis Auſtriæ genus
Vehat, tuaſq; nuptias, & Optimi
Sacrata vota Principis, fauoribus,
Suisq; gratijs vbique comprobet.
Domusq; faxit Auſtria vt Nepotibus
Pijs abundet, atque ſe timentibus,
Quibusq; nil prius Dei amplitudine
In omnibus ſuis ſit actibus; bonæ
Vt actionis hic diu ſuperſtites
Queant decus referre, donec ætheris
Perenniter, Deo iuuante, gloria
Fruantur, ac poli inclytis honoribus.

Ad

Ad Eundem Regem.

Ominibus tua sunt connubia plena, Philippe,
Summi Clementis quæ pia cura probat.
Qui Te coniugio tam fausto iunxit, amore
Impleat ille suo pignora, Teq; Deus.
Culta etenim pietas, & relligionis honores
Adijcient sceptris maxima sceptra tuis.

Ad Eundem.

QVI fausto auspicio Regniq; & nominis hæres,
Vt Christo visum, sceptra paterna geris;
Hesperiæ de Te est fiducia magna, Philippe,
Nilq; Patri absimilem Te fore quisque putat.
Quin etiam Austriadum augustissima facta Parentum
Victurum factis nuncia fama refert.
Pro quibus augurijs, Rex ò, Tibi comprecor vnum,
Clementis probet vt vota, precesq; Deus.
Si Deus annuerit sancto sua vota Parenti,
Vt spero, magno tu Patre maior eris.

Ad Serenissimam Principem Isabellam Austriam.

ISABELLA AVSTRIA
Anagramma
AH! SERAT SVA LILIA.

Mille Tibi Hispanus Genitor concessit honores,
Gallica sed mater Lilia pulchra dedit.

Tu nunc Belgarum Hesperidum pulcherrima Princeps,
Quæ rapies vultu Flandrica corda tuo.
Eia, age, rumpe moras; fac relligionis auitæ
Belgarum populis restituatur honos
Restituetur honos ibi relligionis auitae,
Si tua, Tu Princeps, Lilia pulchra feras.
AH! dilecta mihi mea patria, dic SVA Princeps
In vestris hortis LILIA pulchra SERAT.
Hæreseon spinis si euulsis pulchra serantur
Lilia, honos Christo redditus omnis erit.

In Serenissimum Principem Albertum Austrium Echo alloquitur.

DIC mihi, quando aer resonat iam plausibus, Echo,
Aeris è duplici Filia nata sono;
AustrIVS AlberTVS resonat quid nomine?
IVSTVS.
At vix crediderim, tu, rogo, teste proba.
Sis, REGINA, precor, testis mihi MARGARITA,
Sic ne? ITA. REGINAM quis dare verba putet?

Ad Eundem Principem.

Quæ, Tu Alberte, precor, Reginæ grata sorori
Hoc pro iudicij munere dona dabis?
Iudice Regina dictus de nomine IVSTVS,
Illi iustitiæ munera, quæso, refer.
Sed non quale Tibi nomen dedit aere nata
Echo, reflexa voce imitata sonos.

At

At proprio ductum de nomine, quale parentes
Imposuere priùs, res modò certa probat.

Ad Sereniſſimam, & Potentiſſimam D. Margaritam Auſtriam Hiſpaniarum Reginam.

MARGARITA AVSTRIA
Anagramma
AMATA RVRIS GRATIA.

ALBERTVS en Iuſtiſſimus
(Quali fuit TE Iudice,
REGINA, dictus nomine)
Quam iure debet gratiam
Tibi reponens, AVSTRIA
De MARGARITA, quod legis,
In gratiæ ſuæ vicem,
Hoc lætus offert muneris.
AMATA RVRIS GRATIA.
Nomen ſecundis TERTII
REGIS PHILIPPI nuptijs
Iam comprobatum, & maximi
CLEMENTIS auctum honoribus.
Sed quis tui ſit nominis
Senſus, ſibi vel quid velit
AMATA RVRIS GRATIA
Paucis dabo. Dum quæritur
Vxor Philippo Principi
Ex omnibus potiſſimùm
Sponſis ab alto ſanguine

Natis, & Austrium genus
Decentibus, quamq; optimæ
Coniuncta menti corporis
Pulchri venustas redderet
Amabilem pulcherrimo
Regi, suaq; compare
Dignissimo; per omnia
Dum rura mundi virgines
Fixus tuetur (nam colunt
Beata rura virgines,
Diesq; totos floribus
Vel colligendis, aut suo
Cantu exprimendis alitum
Sonis canoris, vel modo,
Qui virgines quàm maximè
Ornat, decetq;, se occupant)
Tu Margaris Virgo Austria
AMATA RVRIS GRATIA
Magis puellis omnibus
REGI PHILIPPO TERTIO
Dilecta, Coniux, inclyto
PATRE approbante, & Bætico
Lætante Regno, posceris.
Quod auspicato iam bono
Ecclesiæ suæ Deus
Visus probasse, Maximus
CLEMENSq;, sacro munere
Qui TE PHILIPPO TERTIO
REGI dicauit Coniugem.

Hoc

Hoc gratiæ à iustissimo
Sit MARGARITA Iudice
AMATA RVRIS GRATIA

Ad Sereniſſimum Principem Albertum Auſtrium.

TE Iuſtum quando REGINA; ALBERTE, fatetur,
Aëris idq; etiam filia voce probat;
Quid non tam fauſti promittat nominis omen,
Otia ſeu vigeant, ſeu fera bella fremant?
Tempus vtrumque reget virtus tua maxima, cuius
Temporis effigiem Belgicus axis habet.
Sed melior pars noſtra fuit, quam lege gubernas,
Sentiet armatas altera dura manus.

Ad Eundem Principem.

ALBERTVS AVSTRIVS
Anagramma I.
SI SVBRVAT, LABETVR.

SI ruat Albertus, vel ſi ruat Auſtria proles,
(Quæ, precor, auertas omina ſumme Deus)
Non ſus, deq; ferant homines pia numina cæli?
Nonne ruat ſacræ relligionis honos?
Labetur pietas, & relligionis honores,
Auſtriacisq; humeris machina fulta poli.
Æterna Auſtriacis optamus ſceptra triumphis,
Cum ſceptris pietas ſtabit, & orbis honos.

Ad

Ad Eundem.

ALBERTVS AVSTRIVS
Anagramma II.
ALTA eS REBVS VIRTVS.

Tu, Princeps, ALTA eS VIRTVS in REBVS agendis,
Quodcunque aggrederis tam bene vertit opus.
Seu committantur Tibi regna regenda, sagaci,
Prudentiq́; animo tradita regna regis.
Siue gerenda Tibi sint dura negotia belli,
Bellica res nutu statq́;, caditq́; tuo.
Ecquid id est ALBERTE? tui cognominis omen.
Verùm, quidquid id est, omine maior eris.

Ad eundem.

ALBERTVS AVSTRIVS
Anagramma III.
ATLAS VIR ROBVSTVS.

Quicunque in formas, Princeps, tua nomina vertam,
Augustum Augusti nominis omen habes.
Vnus Atlas vasta membrorum mole superbus,
Vt perhibent, humeris fulsit vtrumque polum.
Vnus item, Imperij cui credita pondera, Cæsar
Sustinet in terris fortis Atlantis onus.
Talis ATLAS Tu VIR ROBVSTVS nomine; summi
Imperij nonne hæc sunt rata signa tui?

Ad

Ad

Illustrissimum, & Reuerendissimum D.D. Petrum Cardinalem Aldobrandinum, Ferrariæ, ac in vniuersa Italia de latere Legatum, & Pont.Opt.Max. ex fratre Nepotem.

PETRVS ALDOBRANDINVS

Anagramma

VRBS ORDINES PLAVDANT

EN iterum repetenda mihi tua nomina, Petre,
Aldobrandinæ gloria magna domus.
Quandoquidem ordinibus cunctis, plaudenteq; tota
Vrbe; tuus rursum concelebratur honos.
Et meritò; tua nam nisi clara trophæa fuissent,
Tot læto Eridanus non daret amne sonos.
Sed bene CLEMENTIS precibus DEVS adfuit æquus,
Et rebus, magnis auspicijsq; tuis.
Ergo iterum Austriacis thalamis recreata fluenta
Eridani exultant, ac tua facta canunt.

Serenissimi Principis Alberti Austrij nuper S.R.E.Card. & Illustrissimi D.Cardinalis Aldobrandini comparatio.

Quàm bene iuncta sibi sunt hic duo fulmina belli,
Purpureæq; duo lumina clara togæ
PETRVS, & ALBERTVS, Romani Principis alter,
Augusti magnus Cæsaris alter honos.
Laudis vterque nihil magnæ indigus; inclyta quando
Bellona egregium nomen vtrique dedit.

Pur-

Purpureis ambo sub vestibus arma tulere,
Castrorum, Sacræ militiæq; Duces.
Ambo confestim signis victricibus hostes
Aut vicere, sui vel domuere metu.
Ambo florentes ætatibus, ambo futuri,
Vt reor, Europæ sidera prima suæ.
Vnus dum Patrui summos gestabit honores,
Hæres dum Fratris Cæsaris alter erit.
Fortunati ambo, si quid mea vota, precesq;
Hic valeant, vobis hæc ego summa precor.

De præclara Sanctißimi D.N. CLEMENTIS VIII. Pont. Opt. Max. erga Austriam Familiam, etiam ante Pontificatum, voluntate.

OCTAVVS CLEMENS, qui nunc sacra sceptra gubernat,
Purpureæ gereret cùm monumenta togæ;
Pannonias SIXTI imperio Legatus ad oras
Nominis Austriaci maxima cura fuit.
Et GENTEM insignem meritis, sceptrisq; superbam,
Quanta fuit amor, nobilitauit ope.
Hanc tamen euectus supra diademata Regum
Iam longè officio nobiliore beat.

De Excellentia, & maiestate familiæ Austriæ.

Quàm grauida Imperijs fuerit, sitq; Austria, mundo
INDVPERATORES quos dedit illa, docent.

Nam-

Namque suo nixu tercentum circiter annis
Augustos fertur parturiisse decem.
Quid simile in terris visum, seu Romula quisquam
Scripta, externorum seu monumenta legat?
Mutua quæ fuerant aliis concessa, videtur
Austriacis tandem sceptra dedisse Deus.
Austria tu sceptris feliciter vtere, mundo
Et felix Aquilæ sit, precor, vmbra tuæ.

De Austriarum nuptiarum dignitate.

Nobilitas summo pro munere poscit honores,
Eq; bonis cunctis hæc bona sola probat.
Nobilitatis enim soli sunt pignus honores,
Queis sine quid Reges, quid iuuet esse Duces?
Sunt hæc curarum plenissima, plena laborum
Nomina, ni felix adiiciatur honos.
Solus honos Proceres animis audacibus implet,
Et generosa facit pectora solus honos.
Quid non AVSTRIACIS summo à CLEMENTE tributus
Efficiet tali tempore talis honos?

Ad Austriam.

AVSTRIA diuini tot honoribus aucta Parentis,
Reddere num grati vis animi officia?
Vestris coniugiis quos CLEMENS præbet honores,
Hos Christi sponsæ reddere cura fiet.

E Pro

Pro nuptijs.
Ad Cantores Muſicos.

CLEMENS Auſtriacos ſacris cumulauit honores
Coniugijs, fauſtum concinat Aula melos.
Totus & Eridanus grato modulamine cantet
Aldobrandinæ gaudia læta domus.
Reginæ Heſperiæ laudes ad ſidera tollat,
Ac decus Alberti Principis Eridanus.

Ad Eoſdem.

QVIS nouus, ò Muſæ, cantus ſacra flumina mulcet
Eridani? num quis per vada cantat olor?
Cantat olor laudes CLEMENTIS, cantat honores
AVSTRIACOS, fauſti coniugijq; decus.
Et nos permiſſi cantemus oloribus almi
CLEMENTIS laudes, Auſtriacæq; domus.
Connubij Auſtriaci pro pignore reddita mundo
Pax fuit, ecquid non pignora nata ferent?
Cantemus, cantemus, adeſt lux plena triumphis,
Cantemus, digna eſt cantibus iſta dies.

Aliud ad Eoſdem.

ALDOBRANDINI Auſtriacis iungantur honores
Connubijs, geminæ lausq; ſit vna domus.
Vna ſinu totus quidquid complectitur orbis
Diuinis paſcit legibus, atque regit.

Altera

Altera de summo quidquid ferme æthere Titan
Aspicit, humano temperat imperio.
Vni sunt claues commissæ, & munera cæli,
Altera terrarum maxima sceptra gerit.
Vna pias animas, domus altera corpora seruat,
Coniunctæ donant sed bona cuncta simul.
Aldobrandini Austriacis iungantur honores
Connubijs, geminæ lausq; sit vna domus.

Ad Vrbem Ferrariensem.

QVi Tibi de ferro imposuit, Ferraria, nomen,
Ferreus in Te etiam, dic mihi, nonne fuit?
Aeui uenturi si præscius ille fuisset,
Et præuisa animo si foret ista dies;
Credo equidem, ex auro deductum Auraria nomen
Dixisset, ferri nam, precor, ecquid habes?
Aurea Pontificum, & Regum diademata seruas,
Imò vtrosque tuo claudis, habesq; sinu.
Aduentusq; etiam Reginæ hic omnia fecit
Aurea, & auratum est quidquid in Vrbe vides.
Cur nomen potiùs non ergo Auraria? nunquam
Aurea visa magis, ferrea visa minùs.

Ad Galliam Belgicam.

QVid, oro, Belgica mea potissimùm
Tot inter auspicata dona gratuler?
Priusne forsan optimi, ac pijssimi
Parentis acta nuptialia, & sacri
Decus laboris, inclytæq; gloriæ

Perenne pignus additum Duci Austrio,
Suæq; Coniugi, Tibiq; gaudeam?
Priusne plausibus meis boni ominis
Tui secunda vota, spesq; prosperas,
Ratumq; publicæ rei statum indicem?
Vtrumque maximi negotij est opus.
Quis ille sumat hoc sibi? haud opis meæ
Graue hoc onus subire: LIPSIO meo
Relinquo, magnitudinem Quiritium
Perito (vt assolet sui ingenI bona)
Stylo explicanti; is omnium tibi optimè
(Modò hæc tamen Sacri Parentis actio,
Honosq; tantus Austrijs honoribus
Tributus explicarier satis queat)
Libens (quod arguit mihi Louanij
Notata sæpe LIPSII serenitas)
Subibit hoc laboris, & tuo, & sui
Ducis, negare cui nihil potest, bono.
Age ergo Tu, roga, precare LIPSIVM,
Vt omne robur excitet sui ingenI
Ad inclytum, sacrumq; nuptialium
Honorum in Austriam domum decus suis
Libris docendum, vt extet huius inclyti
Honoris (actus ipse iure ita exigit)
In omne tempus approbata dignitas,
Piaq; Belgiæ in suum Ducem intimus
Amor patescat, optimoq; Principi,
Honoris vnde fluxit omnis istius
Origo, grata sint tributa præmia.

Ad

Ad Eandem.

O Magnis belli tandem defuncta periclis
Belgia, & Hesperiæ Virginis aucta thoro;
Quæ non fausta Tibi Felices omina tædæ
Portendunt, quæ spes non tua corda fouet?
Aude, aude sperare, precor, nunc omina læta,
Hoc Tibi coniugium prospera cuncta feret.
Atque Pius CLEMENS, plenus qui numine, bello
Res passim varias, Regnaq; composuit,
Effusis precibus sacris ad sidera, toto
Restituet lætos Belgico in orbe dies.
Quodq; tot Heroum, Austriaciq; potentia Regis
Non potuit, poterit rite fauente Deo.
Ecquid enim Christum votis prius ille poposcit,
Quod non contulerit dextra benigna Dei?
Illius auspicijs Germania, Gallia, & omnis
Pannonia, optatæ iam bona pacis habent.
Ne dubita; Eridani spondent lætissima tædæ,
Romani Herois quas pia sacra probant.

Ad Eandem.

ALBERTVS, ET ISABELLA AVSTRII, CONIVGES
Anagramma
SVBLATIS BELLVIS AETERNA OCIA VRGETIS.

ESSE quid hoc dicam, fausto quod numine tandem
Iuncta sit Alberto Hesperidum Regina marito?
Et consors thalami, consorsq; futura laborum;

Diuisis operum vicibus dum aequaliter ambo,
Alter relliquias belli, haeresis altera pestem
Extinguent, duplici curato ut vulnere duplex
Laetitiae geminetur honos, ob bina salutis
Munera, & incolumes Christiq́; & pacis honores?
Felix coniugium, & Tu ò terq́; quaterq́; beata
Belgia, quae dudum geminis quassata procellis
Illuxisse tui tandem sub sideris axe
Sidera bina vides, laetarum nuncia rerum.
Haud tam certa equidem tristis Cynosura sereni
Temporis, atque maris placidi, expertisq́; pericli,
Nautis, dum sulcant Zephyris luctantibus aequor;
Quàm Tibi coniugij Austriadum rata signa, uel ipsis
Amborum ominibus, si amborum nomina iungas,
Firmataq́; augurio tali quid certius optem?
Omina quin videor signis stabilita tueri,
Et quod felici auspicio praeceperat antè
Mens mihi, confectum hisce meis iam cernere dudum
Luminibus, tanta est spes, ac fiducia rerum:
Et sic sponte sua mentem praesagia firmant.
Hesperiae quis enim diuina Viraginis arma
Nesciat, haereseon queis debellare furores
Tartareos, scelerum portentaq́; perdere possit?
Sunt clypei, virtus, pietas, reuerentia summi
Numinis, & Christi ante oculos amor, omnibus illi
Vmbra locis; sunt praeterea caelestia signa,
Angelicaeq́; acies ad singula munera vitae
Praesto opibus, studijsq́; suis, armisq́; futurae.
Et fortes aderunt Belgae, fidiq́; ministri

Quos

Quos pietatis honos, & relligionis auitæ
Summus amor, patriæq; salutis cura, viriles
Undique præstabit tantis in rebus agendis.
Quid verò Albertus, quo bellica munera tandem
Corde geret? non hæc Patriæ, Belgisq; referre
Cura mihi, nam sunt loca Belgica plena triumphis,
Seu iaceant intra, siue extra limina, passim
Quando suis Aquilis victricibus imbuit orbem.
Vt res cunque cadant, bellorum semen ab imo
Vertetur fundo, nec erunt metuenda pericla
Pestifera vt sanas mentes contagia lædant.
Pro pace Albertus, pro relligionis honore
Principis Hesperiæ pietas namque excubat, atque
SEDATIS VRGET VIS AETERNA OCIA BELLIS.

Ad
Illustrissimos, & Reuerendissimos DD. S. R. E. Cardinales.

COetus Purpurei splendida lumina,
Quorum consilijs, & sapientia
Romani Imperij res sacra nititur;
Quid tot pro meritis, pro tot honoribus,
Regina Hesperiæ Margaris inclyta,
Albertusque Ducum maximus, & chori
Nuper Cardinei non minimum decus,
Regniq; Hesperij iam decus alterum;
Quid tandem Patribus, quid Dominis suis
(Gaudent Austriaci nam Dominos suos

Sacri

Sacri Concilij dicere Principes)
Quid vobis referent? muneris hoc loco
Iam sit (quandoquidem maxima maximis
Debentur meritis, soluere quæ, datis
Cunctis muneribus, vix queat Austria)
Reginæ atque Ducis fixum animo fore,
Quidquid coniugij Regij honoribus
A vobis cupidis hic animis datum.
Et quando Austriacæ stemma propaginis
Auxit cultus honos numinis, ac Dei
In terris pietas, & reuerentia
Sanctæ sedis, honos cui super omnium
Terrarum imperia, ac sceptra potentia
Semper præcipuè debitus extitit,
Debeturq; poli post sacra numina;
Victuros memores perpetuo pij
Istius meriti, tantaq; munera
Dignis Austriaco sanguine præmijs
Pensuros, vbi quid præbuerit dies,
In quo Collegij publica dignitas
Versetur, vel honos totius ordinis,
Romani aut decoris gloria, vel salus
Rerum, quas animis Austriacis geri,
Fulcirique suo tempore oporteat.
Vos hic interea, Purpurei Patres,
Prognati Austriaco sanguine Coniuges
Oratos cupiunt, vt memores sui,
Ac vestri decoris, numina supplici
Secum perpetuò voce precemini

Vt quas tamq; bono, tamq; rato alite
Ad fausta Eridani flumina nuptias
CLEMENTIS pietas auspicijs suis
Sacratas voluit, maximus optimus
Christus pacificas esse diu velit
Vtrisque Austriacis Coniugibus, diu
Vt grati esse queant, quod ratio exigit,
Tot vestris meritis, ac tot honoribus.

Ad Diuum Antonium Patauinum Carmen Votiuum.

Pro Serenissimo Principe Alberto Austrio, cùm illac iter facturus existimaretur.

EN tutela tuæ Patriæ, Regniq; tuorum,
Antoni, Albertus iam pius hospes adest.
Pectoris ille Tibi deuoti arcana recludit,
Et vota ante aras ingeminata facit.
Accumulansq; preces precibus, rebusq; salutem
Exorans, cineres sternitur ante tuos.
Sit, precor, oranti diues tua gratia, toto
Et quæ Te poscit pectore dona ferat.
Da sint connubij faustissima vincula mundo,
Rebus vt humanis commoda sancta ferant.
Littus ad Hesperium faciles da classibus auras,
Da reduci tutas & maris esse vias.
Da simul ac pulchra cum Coniuge Regius Heros
Sedarit reditu Belgica bella suo;

Aeter-

Æterna posthac vt Patria pace fruatur,
Tota Duci Alberto subdita, tota Deo.
Da viuat dudum faustissima tempora vitæ,
Pignoribus felix, coniugijq; bonis.
Sic vota Alberti cumulatè impleueris, ò flos
Chare Deo, Antoni, sidereisq; choris.

Ad Eundem Principem soluentem è portu Ligustico.

VIRGINIS Hesperiæ thalamo dignate superbo,
Alberte, Austriaci gloria magna soli.
Quàm tua connubia eximij splendoris honores
Illustrant, Procerum quantaq; turba virùm!
Ecce tui ornandi studijs Heroica pubes,
Principis Hesperij Regia tecta petit.
Certatimq;, licet sæuis luctantibus Austris,
Iratum fieri per mare vela iubet.
Quæ quibus anteferam? sunt argumenta triumphi
Certa tui, vitæ sunt rata signa tuæ.
Scilicet vt vectrix fortunæ Cæsaris olim
Nullo vnquam potuit cymba perire mari;
Haud secus Alberti magnis freta salsa triumphis
Obstupefacta sinent molliter ire rates.
Et pelago emenso venientes Bætica tellus
Effuso excipiet læta per arua sinu.
Madriti donec Regalia tecta marito
Pandantur, Christus coniugiumq; probet.

FINIS.